



Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis  
De

33

17

# CONSCIENTIA,

In Illustri Academia Wittebergensi

PRO LOCO

In inclyta Facultate Philosophicâ sibi benevolè  
concesso

*Publice ex Ethicis disputabit.*

M. CUNRADUS *Barthels*  
Halberstadenſis

RESPONDENTE

THOMA LINDEMANNO  
Rostochienſi

*Ad diem Junii 3. horis à 7. matutinis  
in Auditorio majori*

ANNO æræ Christianæ  
M. DC. XXX.



WITTEBERGÆ,  
Typis Hæredum CHRISTIANI THAM.

CONSCIENTIA

In Illustri ac Reverenda Universitate  
Wittenbergensi  
Philosophiae  
P. S. D.

MAURITII



DEMANNO

1717

1717

1717

1717





## Præloquium.

**P**hilosophia, donum illud divinum, quæ Clemens Alexandrinus *l. i. Strom.* vineæ (intellige doctrinæ Salvatoris) aptam sepe & vallum nominat, & Joan. Damascenus *in Dial. c. i.* tanquam famulam artium (Theologiæ) inservire docet, multis modis à multis hominibus male sensatis ex anserino iudicio impugnari, quod dolendum est hoc seculo experti sumus. Sic non pauci, qui illotis manibus superiores disciplinas involârunt, neglectis veris fundamentis, illam contemnunt, & quemadmodum apud Æsopum vulpecula, cum cauda esset mulctata, suis similibus persuadere conabatur, ut caudas abscindant, quia hoc membrum non indecens solum sit, sed & supervacaneum opus appensum, id simili modo illi homines facere tentant, consiliumq; pravi animalculi sequuntur. Alii qui volunt videri propugnatores Philosophiæ, reddunt illam exosam multis inutilibus quæstionibus & subtilitatibus quas frequenter tractant. E. G. An virtutes animalia sint, cum potius quærant, quomodo ad virtutes pervenire queamus, quæ via nos ad illas ducat. An Logica sit Ars; cum potius docendum esset, quod nemo sine Logica disputare accurate possit. An Respub. sit ordo, cum potius inculcent, quod nulla societas consistere possit, nisi

A 2

hic

*Repina*

hic ordo adsit &c. Ab hisce segregare nos volumus hac præsentī materia : quæ satis indicat utilitatem Philosophiæ. Nam nihil forte est cognitu hodie magis necessarium, quam hæc ipsa materia, quando multi ita de conscientia disputare volunt & loquuntur, ut ipsum illum terminum, planè ignorare deprehendantur. Tamen ne justo diutius nos moremur, paucula tantùm, sed præcipua afferemus, quæ ad istam pertinent, unde de cæteris judicari poterit. Tu Deus Opt. Maxime, largire successum, ut perducatur hoc nostrum institutum ad finem exoptatum.

## THESIS I.

**C**irca expositionem nominis conscientiæ nobis tria sunt consideranda, 1. Etymologia. 2. Homonymia. 3. Synonymia.

**Etymologia** II. Etymologia est vel apud Latinos, vel Græcos vel Germanos.

**Triplex scientiæ applicatio.** III. Latini vocant Conscientiam, à Con & Scientia, quia scit omnia hominis cogitata, dicta & facta, istaque scientia hominem ad sui agnitionem adducit, ut omnium quæ ab homine profecta sunt sive bona sive mala index & judex. Alii, teste *summa summarum Sylvestrina in voce Consci. ab init:* dictam volunt, quasi concludentem scientiam qua judicatur aliquid esse bonum vel malum sive benè sive malè factum secundum illud *Eccles. 7. 23.* scit Conscientia tua te crebrò maledixisse aliis. Unde triplex in Conscientia est applicatio Scientiæ ad aliquod opus, *docente Thomâ part. 1. q. 79. art. 13.* uno modo secundum quod recognoscimus aliquid nos fecisse vel non fecisse. Alio modo quando per nostram Conscientiam judicamus aliquid faciendum vel non faciendum. Tertio modo, quando per Conscientiam judicamus, quod aliquid, quod est factum, sit bene factum vel non bene factum.

IV. Græci

IV. Græci *συνείδησις* à *σύν* & *εἰδέναι*. Germ. vocant *das Gewissen* / quæ vox certam & immotam scientiam de rebus notat. Unde dicimus *Er fühlet im Gewissen*.

V. Ratio Impositionis apud omnes videtur esse eadem. 1. *Impositio Nominis*. Ut sciat unum cum altero circa ea quæ commissa sunt verba, facta, affectus, cogitationes & similia. 2. Ut non solus sciat rem commissam sed cum aliis: ut sunt. 1. Creator *Joh. 16. 20. & Psalm. 139. 3. 2. Sancti Angeli Luc. 15. 7* 3. Alii homines, denn ein *Schalters weis/ wie dem andern zu muthe ist. 4. Diaboli Zach. 3. 1.* *Factorum consciis testes.*

VI. Sequitur Homonymia vocis. Sumitur potissimum hinc modis:

I. Pro actu primo seu *divinae* discurrendi & judicandi de factis propriis practicè: qua ratione etiam dicitur intellectus practicus qui eo cognoscit, non ut sciat tantum, sed ut quod scire agendum esse, id agatur. *1.*

II. Pro actu secundo & quidem pro tota ratiocinatione practica qua ex præmissis legitimis conclusio efformatur: nempe ex principio aliquo Juris naturalis vel divini ut Majore, Propriam hominis subsumptione ut Minore, quas tandem certa conclusio sequitur. E. G. *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Hæc major est Juris naturam noti. Minor propositio est factum aliquod huic legi difforme, quod non aliunde, sed à proprio cordis dictamine provenit: ut Injuriam tibi non vis fieri. Hinc sequitur conclusio E. Injuriam alteri ne feceris.* *2.*

III. Pro solâ majore syllogismi practici. Sic videtur accipi *Rom. 13. 5. Obedite non solum propter iram sed etiam propter conscientiam h. e. non modo ad effugiendas poenas, sed etiam propter rationis judicium, quod dicat obediendum esse & nisi fiat postmodum accusat.* *3.*

IV. Interdum de sola minore practici syllogismi propositione usurpatur, ut cum Paulus scribit *1. Cor. 4. 4. nihil mihi conscius sum h. e. nihil contra legem aut contra rationem rectam positam in majore feci 2. Cor. 1. 12. Hæc est gloria nostra, testimonium conscientiam nostram.* *4.*

A 3 V. De

V. De conclusione practici syllogismi, ut quando quis seipsum sceleris arguere non potest vel de opere suo bono gloriatur, sic usurpatur, quando ad conscientiam nostram provocamus, aliosque ad conservationem bonæ conscientiaæ hortamur.

VII. Nos quando de conscientia in hac Disputatione agere volumus, principaliter hic spectamus faciendorum & fugiendorum præscriptionem, quod ad majorem syllogismi practici spectat, quatenus est principium actionum humanarum, Judicium intellectus de faciendis vel omittendis quod præcedit actionem, sive est de rebus faciendis ad nostrum institutum, non id quod est de factis.

**Discrimen  
Conscientia  
& syntereseos.**

II X. Hæc conscientia non est idem quod *συντήρησις*, vulgo ethi barbare, synderefis, rectius synteresis h. e. honesti *νεπέθειον* vel inhonesti: Ut enim dicitur alias Lex naturæ, quæ appellatio primum ex Epistola ad Rom. c. 2. 14. desumpta est: Philosophis *Recta Ratio*; Paulo, JUSTITIA DEI, ita nunquam potest errare, tantum est in bonis, quia stimulat ad bonum & abhorret à malo, unde & naturalis instinctus appellatur ad bonum à *Gersono part. 3. serm. de nativ. virg. Mariæ*. Conscientia interdum in judicando aberrare potest, est in bonis & malis, sæpe suadet malum pro bono eligendum, quamvis non sub ratione mali sed boni. Tantum de explicatione vocis.

**Tractatio.**

IX. Conscientiaæ natura ut plenius intelligatur, de tribus potissimum agemus: De ejusdem definitione, divisione in species, & cujuslibet effectu sive officio.

**Definitio.**

X. Quamvis variè definiatur Conscientia, at quo ad præsens sufficit scire, esse eam cognitionem sive Scientiam ad vitæ actiones applicatam, docente, *Thomâ part. 1. q. 79. art. ult. in corp.* sive Intellectus judicium de faciendis, quo aliquid bonum esse vel malum judicamus.

**Proximum  
actionum  
principium.**

XI. Et quamvis lex, sive naturalis sive divina sive humana sit prima malitiæ aut bonitatis nostrarum operationum regula: id tamen ita intelligitur quatenus lex utraq; cognoscitur sive cognosci ab homine poterat. Et sic proxima est dictamen rationis seu Conscientiaæ judicium, proponens voluntati objectum tanquam honestum & turpe. *Sanchez. l. 1. c. 9. n. 1. part. 1. in opere morali.*

XII. Et



XII. Et quemadmodum ll. civiles norma sunt, ad quam Respub. componitur, sed remotior quam scientia istarum legum: tum enim demum lex obtinet cum ad notitiam vel pervenit vel pervenire potuit *l. Diva 65. in fin. cod. de decur.* Ita etiam lex naturæ & divina præcipuum, sed paulo remotius sunt principium actionum omnium, proxima utriusq; legis cognitio.

XIII. Ab hac proinde tanquam proxima regula dependent actus nostri, ut rectè faciat, qui id agit, quod faciendum conscientia præcipit, vel certe contrarium non agit; malè qui non agit quod jubet, vel facit contrarium *ut docet Thomas 1. 2. q. 19. art. 3. c. 4.*

XIV. Idq; tam certum est, ut nulla dispensatio efficere possit, ut agat quis contra Conscientiam propriè ita dictam & tamen non peccet. *Cl. Horneius in doctr. de moribus l. 3. c. 4. num. 3. p. 321.*

XV. Cæterum quia Conscientia sequitur intellectus nostri judicium, hoc autem non semper eodem se modo habet: nam interdum recto incedit talo, interdum affectibus abreptum à rectâ viâ aberrat, interdum languet & fluctuat &c. hinc quotuplex est judicium intellectus, totiplex etiam est Conscientia.

XVI. Et sic vulgo quinque ejus recensentur species: Conscientia Recta, Opinabilis, Erronea, Dubia, & Scrupulosa. De his maxime necessaria in compendium contrahemus.

XVII. Conscientia Recta legi Dei est conformis & id faciendum aut omittendum dicit, quod cum jure divino & naturali consentit vel pugnat.

XVIII. Hanc obligare nemo sapiens repugnat, congruit enim illius dictamen cum ipso jure divino & recto rectæ rationis iudicio exactè. Quicquid jam jubet illa omnia, quæ cum lege naturæ, cum Decalogo, cum statutis magistratus legi divinæ conformibus congruunt facienda esse, quæcunq; vero ab illis prohibita, omittenda esse, illi parere sumus obligati, nisi mortaliter peccare velimus. Jam Conscientia Recta jubet illa omnia &c. E. Conscientiæ rectæ parere sumus obligati nisi mortaliter peccare velimus.

XIX. Con-

Quomodo  
Conscientia  
obliget.

Quotuplex  
sit Consci-  
entia.

Recta.

Effectus.

*Probabilis.*

**XIX.** Conscientia probabilis est, quæ ex opinione probabili formatur. Opinio autem est quæ rationi alicujus momenti innititur, ita tamen, ut pro opposita parte nil convincens sit. Sanchez l. all. n. 5. Horneius p. 327.

*Requisita  
duo opinio-  
nis.*

*Quid per  
formidinē  
intelligatur*

*Quomodo  
obliget.*

*Q. 1. an u-  
nius probi  
Doctoris  
authoritas  
faciat opi-  
nionem  
probabilem*

*Discrimen  
docti &  
ignari in o-  
pinionibus  
eligendu.*

*Q. 2. An  
Doctoris  
opinio que  
est contra  
communem  
posset am-  
plecti.*

**XX.** Unde liquet duo requiri ad opinionem. *Unum* est ut intellectus assensum rei præbeat, & ad unam partem contradictionis declinet, idque ob certas rationes. *Alterum* est ut intellectus sufficienter non moveatur ab objecto, sed permixtus sit assensus formidine oppositi, Formido autem in eo consistit, ut rationes illius partis, cui assensum præbemus, tantum pro probabilibus non autem pro certis aut evidentibus reputemus, ac statuamus fieri posse, ut re ipsâ opposita pars vera sit, etiamsi id jam rationes illius non ostendant. Hicce positis, dicimus conscientiam probabilem simili modo ut Rectam obligare, nempe ut rectè faciat, qui juxta eam agit, male qui contra.

**XXI.** Ubi quæritur 1. an unius Doctoris probi & Docti authoritas reddat opinionem probabilem. *R.* Affirm. in iis quæ ad mores pertinent. Nam opinio probabilis est, quæ non leve innititur fundamento. At authoritas viri docti & pii non est leve fundamentum.

**XXII.** Interim id inter doctum & ignarum in opinionibus eligendis distat, monente Azorio tom. 1. Instit. moral. lib. 2. c. 17. q. 5. ut ille quo prudenter agat, rationes examinare ac ponderare debeat: Hic vero non, sed satis sit, si viri docti consilium sequatur: Potest tamen vir Doctus in re dubia reputare ex hominis docti sententia reddi opinionem probabilem, cum hujus authoritas, sæpe majoris sit ponderis apud virum Doctum, quam aliqua veri similis ratio, quæ ei ad probabilitatem sufficeret.

**XXIII.** Quando autem ea doctoris opinio esset contra communem, An posset amplecti, 2. quæritur? Communis autem dicitur si pauciores doctores habeat qui utriusque partis rationibus discussis & perpensis, illam affirmant. Sylvest. v. opinio q. 2. & Angelus ibid.

**XXIV.** *R.* cum Vazquez 1. 2. q. 19. art. 6. disp. 62. c. 4. initio, licere viro docto qui non parum literis vacarit & rectè utriusque funda-

fundamenta expenderit suam opinionem singularem probabiliorem judicare & illam sequi. Negari enim nequit turbam Doctorum aliquando amplecti unam opinionem absq; delectu rationum aut saltem rationibus non tam exacte ponderatis contra quos deinde alius Doctor magnæ autoritatis opinionem aliquam maturè excogitatam in scholas introducere potest.

XXV. Hic 3. quæritur, An liceat in foro Conscientiæ juxta aliorum opinionem minus tutam, quam probabilem reputat, operari, contra propriam tutiorem & quam sibi probabiliorem esse persuadet? Ad quod respondet Bartholomæus Medina *art. 6. hujus quest. citante & approbante Vazq. 1. 2. tom. 1. disp. 62. cap. 4.* affirmativè, retenta tamen ad huc propria opinione ut probabiliori & assensu illius per intrinseca principia, ita tamen ut per extrinseca principia existimans vir Doctus contrariam opinionem esse probabilem in universum consideratam, formet sibi judicium Conscientiæ singulare quo judicet sibi licitum esse sic operari. Ratio I. Nam hoc ipso quod opinio aliqua probabilis est, sicut absque ullâ notâ eam speculativè amplecti & defendere possumus, sic etiam sanâ conscientia secundum eam operari possumus. 2. Quia ex eo, quod Opinio illa est peritorum in arte & probali ratione fundata, nulla videtur reprehensione aut notâ dignus, qui eam sequitur in operando, aliorum in hoc sententiæ acquiescens.

XXVI. Magis tamen habebit rationem tranquillæ Conscientiæ qui partem tutiorem eliget. E. G. Si quis fraude deceptus pacem promiserit, vel vi coactus juramentum præstiterit de solvendâ pecuniâ, is sanè promissa effecta dabit.

XXVII. Quæritur 4. quid sentiendum de præceptoribus qui inter legendum docent opiniones minus probabiles?

R. Si cognitum ipsis est opinionem hanc vel illam falsam esse, minime salva conscientia illam suos discipulos docere possunt. 1. Quia lege divina severissime prohibemur, ne omnino mandacium loquamur. *Exod. 24. 1. Matth. 19. 18. Rom. 13. 9.* 2. Ille est & dicitur verax qui & vitâ & oratione verax est, quæ apud se habet, neque majora neque minora profitetur, & sic mediocri-

B tatem

*Q. 1. An contra propriam tutiorem & sibi probabiliorem licet juxta aliorum opinionem minus tutam & probabilem operari?*

*Consilium.*

*Q. 4. de præceptoribus minus probabilia docentibus*

tatem quæ est inter arrogantiam & dissimulationem observat, h. 4. *Ethic. c. 13.* Contra qui in alterutram partem impingit, ut vel magis vel minus de rebus, quam sua natura sunt, pronunciet aut affirmet, vel arrogantiam vel dissimulationem incurrit & sic de testandi mendacii maculam, quæ virum bonum foedè de honestat.

Si autem videantur habere aliquam probabilitatem, tunc ex jussu scholarum bonâ Conscientia illas docere potest: Si autem in ejus potestate situm est, docere juventutem quod sibi videtur esse probabilius, rectius facit ut negligat opiniones minus probabiles.

Q 5. De judice, quando alteram opinionem probabiliorem judicat?

XXVIII. Quæritur 5. de Judice quando alteram opinionem probabiliorem judicat? R. Judicem superiorem non agnoscentem, teneri ferre juxta opinionem probabiliorem, quia hic agitur de jure suo cuique reddendo, secundum merita causæ, & cum ipse à Repub, judex constitutus sit, hoc ipso iudicio ipsius committitur, ut causam illam dirimat, pro ut ei melius & rationi magis consentaneum videbitur.

Si autem iudex inferior esset, & opinio, quam minus probabilem judicat, esset magis praxi recepta, & crederet, fore ut minus prudens à iudice superiori, ad quem appellatur, notaretur, ejusq; sententia revocaretur, si lata esset juxta sententiam quam probabiliorem judicat, tunc enim potest sententiam minus probabilem sequi; Quod cum tantâ sui honoris jactura & tam modico fructu munus suum obire minime teneatur, *decidente Vaz. questio.*

Q 6. An sequendo opinionem carcanus omni formidine?

XXIX. Tandem non levis oritur difficultas: An sequendo opinionem propriam vel contrariam carere debemus omni formidine, ut recte operemur? Affirmativa svaderi possit hac ratione. Quia quoties homo operatur cum formidine oppositæ partis habet conscientiam dubiam & ambiguam: Cum dubia autem & ambigua Conscientia operari non licet.

R. Aliud esse formidinem, aliud dubitationem. Dubitare in actione non licet, verum cum formido etiam expressa unius partis non excludat assensum determinatum alterius partis & cum quovis assensu probabili, qui non attingit evidentiam, formido,

modo esse possit, sequitur cum hoc formidine posse quemlibet operari. 1. Quia ad recte operandum non est necessarius assensus evidens sed sufficit probabilis. 2. Quia certum est neminem debere necessario tutiorem partem eligere *Vaz q.*

*Erronea.*

XXX. Conscientia Erronea sive errans est, quæ dicitur esse bonum, quod alioquin est malum, aut è contra, quæ dicitur esse malum id, quod in se bonum est.

XXXI. Sicut ignorantia quædam est vincibilis sive culpabilis, quædam invincibilis sive inculpabilis, sic de Conscientia Erronea etiam dicendum est. Dicitur ergo *invincibilis* quando ita errat, ut virtute modi quo errori adhæret, non debeat illum deponere sed potius prudenter existimare se non errare. *Vincibilis* autem, quæ imprudenter judicat, ita ut si debita adhiberetur diligentia, minime erraret.

*Invincibilis*

*Vincibilis.*

XXXII. Quibus præmissis dicimus operari contra Conscientiam erroneam, sive culpabilem sive inculpabilem, dictantem aliquid esse malum, est peccatum ac intrinsecè malum: quod latissime probat *Vaz quæz. 1. 2. q. 19. a. 6. disp. 59. c. 2. num. 6.* Probatur Conclusio unâ vel alterâ ratione.

*Quomodo obliget?*

XXXIII. 1. Quia cum Conscientia sit proxima bonitatis & malitiæ humanorum actuum regula, agens contra Conscientiam sive verè sive falsò dictantem aliquid esse peccatum, delinquit contra proximam humanæ actionis regulam. Quamvis enim per se ratio recta, & quæ est divinæ legis participatio, sit nostrarum actionum regula: At per accidens, est regula conscientia Errans, non ut errans, sed quatenus recta ab operante existimatur.

XXXIV. 2. quia etsi Conscientia erret, dictans id esse malum, voluntas illud amplectens vult quantum in se est, malum, & proinde legem naturalem dictantem, omne malum esse vitandum, transgreditur. Sicut qui privatum credens esse Regem, contemnit, non privatum, sed Regem contemnere censetur.

XXXV. Quod tamen intelligendum, quando actio vel omissio est libera. Quando enim quis carcere detentus, illo tempore, quo habetur concio, putaret se peccare non audiendo illam, minime peccaret. Et similiter qui manu violenter ab aliis motâ hominem percuteret, non peccaret.

B 2

est,

& si errarit existimando se peccare. Quia cum ad peccandum desideretur libertas, actio illâ carens, nequit peccato obnoxia esse.

*Observ. 1.*

XXXVI. Ubi observandum 1. Obligationem non operandi contra Conscientiam errantem, non oriri per se ex ipsa Conscientiâ Erronea, sed ex principio naturali dictanti malum esse vitandum atque ex ejus virtutis præcepto, contra quam id malum esse hæc Conscientia dicit. Ut si dicit id esse furtum erit contra justitiam, si fornicationem erit contra castitatem. Quippe virtutum præcepta obligant ad vitanda non sola ipsis adversa, sed etiam quæ adversa esse conscientia Errans dicit. At conscientia errans tantum se habet instar conditionis, quâ existente tenetur homo vitare aut facere id, ad quod eâ seclusâ non tenebatur.

*Crimen  
conscientiæ  
errantis.*

XXXVII. Hinc deducitur crimen adversus Conscientiæ errantis dictamen, ad eam malitiæ speciem ac culpæ quantitatem pertinere quam ipsa conscientia Errans dicit. Ut si dicit esse leve erit tale, si grave, grave, si adulterium, adulterium. Quia cum tota hujus materiæ ratio in eo consistat, ut contra Conscientiæ errantis dictamen sit opus, talis & tanta erit malitiâ qualem & quantum conscientia diceret. *Thomas. 1. 2. q. 19. a. 5. ad 3. m. Valent. 1. 2. disp. 2. q. 14. puct. 4. q. 2.*

*Obs. 2.*

XXXVIII. Obser. 2. quando Conscientia Erronea est vincibilis seu culpabilis & dicit aliquid esse sub præcepto quod quidem peccatum erat, ut si dicit teneri quempiam furari, ut pauperi subveniat, peccati reus est, sive furetur sive non furetur. Furando quidem contra præceptum non furandi, à cujus transgressione ignorantia illa culpabilis excusari nequit: Non furando autem quia contra conscientiæ Erroneæ dictamen agit. Quamobrem hic per Accidens & secundum quid supposito suo culpabili errore perplexus erit, non autem simpliciter, & ita non ex necessitate peccat. Quippe potest & tenetur eam Conscientiam deponere tanquam culpabilem. *Azor. tom. 1. l. 2. inst. moral. c. 4. q. 8.*

*Cōscientia  
erronea est  
deponenda.*

XXXIX. Quando autem ignorantia est invincibilis & putaret errans utramq; contradictionis partem peccatum esse nec  
utra

ut gravior distinguere nosset, nec quam in eo dubio amplecti teneatur, an peccet alterutram partem amplectendo difficilis est quaestio. Quod pastoribus gregum contingere solet, putant enim se non audiendo concionem in festis peccare, Ac similiter deserendo gregem ut concionem audiant: Nec quod ex illis praecipis in composibilibus anteponendum sit discernere norunt, nec praemanibus Doctorem consulendum habent. R. hos culpam liberari, sive unam sive alteram partem amplectantur.

XL. Ratio quod huic non sit liberum culpam vitare, cum quicquid faciat culpam esse existimet. At agere contra conscientiam libertate deficienti culpam vacat.

XLI. Dices! quod actus is sit plane liber. Cum revera possit ille gregem deserere & sic audire sacrum, & similiter possit omisso sacro gregem custodire. Et ideo utraque pars libertate gaudet? R. Etsi actus ille utraque parte electa sit in se & absolute liberat non est liber in ordine ad culpam vitandam: Cum utraque parte electa, culpa necessario immineat. At ut actio culpae imputetur, libertas actionis quatenus culpam vitare potest, desideratur.

*Dubium.*

XLII. Tandem 3. obs. Actus ille quo Conscientiae invincibiliter erranti ac dictanti aliquid esse bonum, quod vere peccatum est, voluntas se conformat, est bonus ejusdemque virtutis cuius esset, si re vera objectum illud a parte rei tale esset. Ut si ex conscientia quis judicat, se ad mentiendum teneri ut proximo subveniat, mentiri tunc erit actus bonus virtutis misericordiae. Probatut.

*Obs. 3.*

XLIII. Primo, quia tunc homo simpliciter obligatur ad actum illum, ut probatum supra. E. erit bonus.

XLIV. 2. Quia non peccat in eo actu, actu E. bene operatur.

XLV. 3. Quia objectum ut est in re ipsa non tribuit actui speciem sed ut hic & nunc proponitur. At hic & nunc proponitur ut honestum atque ignorantia est invincibilis E. Reddit actum

actum honestum. <sup>82</sup> Dei hæc obligatio oritur ex vi præcepti illius virtutis, ad quam pertinere talem actum existimatur. *Hæc Sanchez l. 1. c. 11. n. 17. in opere morali.*

XLVI. Obligat autem ista Conscientia aliter, quam Recta; secundum hanc enim qui agit, rectè agit, pravè, qui contra. Errantis autem ea est natura (nisi error sit vincibilis aut de re indifferenti) ut peccet tam qui juxta eam agit, quam qui contra.

XLVII. Peccat, qui juxta eam agit, errorem enim, licet possit, non vult deponere. Similiter qui contra eam agit. Quamvis enim qui agit legi de divinæ aut humanæ non repugnet, pro ut in se spectatur, repugnat tamen utique pro ut ille statuit id, quod agit, lege divinâ aut principis prohibitum esse, etsi revera prohibitum non erat.

*Dubia.*

XLVII. Conscientia dubia est, quæ alterutram partem contradictionis nec affirmat nec negat, sed suspensa hæret inter utramque; nec actionem quæ occurrit svadet nec etiam dissuadet. Sic dubitantem Conscientiam habet mulier, quæ post auditam mortem prioris mariti, alteri nupsit, si audiatur rursus, maritum priorem vivere, & dubitet utrum liceat sibi negare debitum posteriori marito, nec ne? Item si subditus dubitet, utrum peccet contra fidem proximo datam, revelando ejus crimen superiori. An potius illud tacendo peccet, contra obedientiam superiori debitam, cum is de ejusmodi crimine percontatur.

*Effectus.*

XLVIII. Talis conscientia non obligat ad actionem, sed qui ex tali agit, is procul dubio peccat. Siquidem vult rem, seu bona, sit seu mala: Adeoque id, quod agit, utrumque aliquo modo vult (quod enim in tali casu res bona & licita sit, est per accidens, quod ad voluntatem hujusmodi hominis attinet) quemadmodum jam, si quis faciat id, de quo dubitat, utrum sit displiciturum amico suo nec ne, is procul dubio censetur hoc ipso offendere amicum. Sic etiam dicimus illum offen



offendere Deum, qui facit id, de quo dubitat, utrum Deo placebit, an Deum offendet.

**XLIX.** Quare qui dubitantem conscientiam habet aliqua de re, is antequam agat illam deponat, & quia non suppetit causa, convincens ad ad sensum vel dissensum, liberè assentiat alicui parti, aut dissentiat ab altera. *Greg. de Valent: Tom. 2. disp. 2. p. 12. q. 5.*

**L.** Recte fecerit, qui sui juris est, qui partem tutiorem elegerit: qui vero alteri subditus, est si id amplectatur, quod superior mandat, *docente Sylvestro verbo Conscientia q. 4. quam sententiam etiam confirmat verbo obedientia §. 2. & verbo Religio, sexto, 26.*

**LI.** Conscientia scrupulosa est, cum aliquis scrupulum aliquem habet & formidinem circa aliquid, etiam cum opinatur esse licitum, quia scilicet veretur, ne sit illicitum, ut an liceat hoc vel illud facere. *Scrupulosa.*

**LII.** Hic scrupulus est vel Rationabilis vel irrationabilis. *Si rationabilis E. G. Quod probabilius sit rem hanc non facere tunc, recte fecerit, talem scrupulum sequi. Non tamen tenetur quis hoc facere, sed potest licite discordare à scrupulo. Supponendo opinionem illius, quod scilicet res liceat; esse quoque probabilem.* *Scrupulus est vel Rationabilis vel irrationabilis.*

*Si irrationabilis, ut si nascatur ex Melancholiâ vel ignorantia, tunc est negligendus, & quantum fieri potest animo eijciendus.*

**LIII.** De huiusmodi scrupulorum medicinâ legi potest *Medela scrupulorū.* *Sylvester in verbo Scrupulus.* Potissimum verò consilium est in hac re, non niti iudicio & cognitione suâ, sed credere probis & sapientibus, præsertim iis à quibus aliquis regitur, qui remedia ad præsentem scrupulosi hominis necessitatem accommodata facile suggerere possunt.

**LIV.** Satis.

LIV. Satis hac vice de Conscientiâ. Cuilibet hæc sit pri-  
ma cura, ut sibi Conscientia maneat pura. Qui habet bonam  
Conscientiam, is & semper habebit lætitiã. Bona enim con-  
scientia, valde læta est inter adversa, Mala conscientia sem-  
per timida est & inquieta. Suaviter is requiescet,  
quem cor suum non reprehendet.

Deo, qui solus Dominatur Conscientiis nostris,  
Sit laus & gratiarum actio in secula.



94.A 7578

ULB Halle 3  
002 715 147





f  
sb.

1017

10/1999







Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis  
De

33 17

# CONSCIENTIA,

In Illustri Academia Wittebergensi  
**PRO LOCO**  
In inclyta Facultate Philosophicâ sibi benevolè  
concesso  
*Publice ex Ethicis disputabit.*

**M. CUNRADUS Barthels**  
Halberstadenfis

RESPONDENTE  
**THOMA LINDEMANNO**  
Rostochiensis

*Ad diem Junii 3. horis à 7. matutinis  
in Auditorio majori*

ANNO æræ Christianæ  
M. DC. XXX.



WITTEBERGÆ,  
Typis Hæredum CHRISTIANI THAM.

